Nobilissimo Doctissimoque Viro,
D. D. Constantino Hugenio Equiti etc.
Χαίρειν καὶ εὐπράττειν. Dousa.

Numerosum istud, nec non acutissimum Epigramma, Vir Nobilissime, per Avunculum meum recepi. Credo equidem (nec vana fides) omnes simul Musas, nec non ipsum Apollinem Tibi astitisse οἱ ταῦτα ἐναίσιμα ἐν φρεσὶ τίθεισι quam enim omnia ἐν αὐλῷ ὀλόχευσα, ὑψηγόρα, et nihil Deo non dignum. Maximum quondam illud fuisse in magno Homero refert antiquitas; quod nullus unquam ante ipsum fuerit, quem ille imitaretur, neque post illum, qui ipsum imitari posset: in Te vero, illud maximum esse reor, Vir Eminentissime, quod nullus unquam fuerit ante Te, quem non faelicissime superaveris; post Te futurus nunquam sit, qui superare Te possit. Primus abis, longeque ante omnia etc. Quod vero tam immodicas laudes juvenilibus annis nostris attribuas, et Filium modo, modo Patrem appelles, scribere quidem facile id vobis, praestare autem nobis difficillimum. Pulchre me quidem sed non meo me colore depinxisti. Non equidem illa Nomina in me agnosco, non Caelestem illam Poetarum originem, non Divinos illos spiritus qui tam divite ubique copia exurgunt: verum pauperem, quandam, et jejunam venam, quae tamen laudata crevit, et nescio quo pacto his stimulis excitatur, et ad veterem illam Gentis ac Generis mei gloriam aspirare conatur. Vale. Datum Lugd. Bat. prid. Id. Feb. CIↃ IↃCLX.

© British Library
Add MS 21524, f. 95
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5635